



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtutes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 14. Circa Charitatis præceptum erga Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

adeo intrinsecè malum, quin aliquando liceat. Imo cum hæc actio de seindistincta sit, & bono vsui valeat deferuire, ac proinde ex aliqua graui causa honestari: lethale erit, huiusmodi imagines depingere ex metu mortis, vel vultus. Verum amissio lucris ex abstinentia à tali pictura causa grauis minime erit. Azor. *tomo secundo libr. 12. capit. ultim. questione nona Bonac. de peccat. d. 2. question. 4. punct. 2. §. vnic. num. 9.*

150
Peccantes publice tenentur scandalum manifestare ob periculum, cui se exponunt, ruinæ proximi. Nec satis est, fateri, se dicto, vel facto alterum scandalum fuisse, sed speciem peccati, ad quam incitauit, fateri debet. Imo quantum fieri poterit, numerus personarum exprimens est, quibus data est ruinæ occasio, etiam si vnica vice, & vnico peccato coram eis perpetrato detur. Quia sicut explicitè inducere multos ad peccandum, auget peccatorum numerum in confessione necessario exprimens: ita prauo exemplo inducere. Fillius *tract. 18. num. 226.* Sanchez *libro primo Decalog. capit. 7. numer. 40.* Layman. *libro primo tract. 2. cap. 10. numer. 3.* Diana *p. 5. tractat. 7. resol. 3. & p. 6. tract. 6. resol. 33.* Sylui. *2. 2. question. 43. artic. 3. concl. 2.*

151
Nullum peccatum est patrandum, ad vitandum scandalum proximi. Quia nullum peccatum etiam veniale in bonum aliquem finem dirigi potest: habet enim malitiam quandam respectu finis infinitam adeo, vt à nulla finis bonitate valeat exauriri: verbi gratia, men-

riti ad totam aliquam Prouinciā seruandam. Et quia quilibet debet se ipsum magis diligere, quam alterum quod non faceret, si veller potius Deum offendere, quam vt proximus offendas, permittere. D. Thom. *2. 2. question. 43. art. 7.* Laym. *lib. 2. tr. 3. c. 13. nu. 8. & 9.* Becanus *2. 2. tom. 1. cap. 17. quest. 5. n. 2 & 9. 6.* Tanner. *2. 2. d. 2. q. 6. dub. 9.* Valent. *10. 3. d. 3. qu. 18. punct. 4.* Suar. *de Charit. d. 10. sect. 3. n. 9.* Nauar. *sum. c. 14. num. 33.*

Ad scandalum infirmorum vitandum oportet facere, vel omittere quiddam sine peccato fieri, vel omiti possit. Quia præceptum charitatis vult proximo in necessitate spirituali constituto succurri, quantum commodè fieri potest: At qui ex infirmitate, vel ignorantia per nostrum factum incursum est peccatum in magno salutis versatur discrimine. Ergo. Hoc tamen intelligo, quando scandalum pusillorum aliter vitari non potest. Nam infirmi, & ignorantes debent doceri, eiusque redi sufficiens ratio facti: quod si non acquieuerint, ac post redditam rationem, adhuc duxer scandalum, iam ad scandalum Phariseorum ex eorum malitia transit. Doctores citati.

Ad vitandum denique Phariseorum scandalum, nil necessum est facere aut omittere cum spirituali, aut temporali detrimento. Quia qui ex malitia scandalizatur, non est in ea necessitate spiritus constitutus, vt debeat cum alterius notabili detrimento adiuari. Vnde opera consilij ob huiusmodi scandalum non sunt dimittenda. D. Tho. *2. 2. q. 43. a. 7. & 8.*

SECTIO SECVNDA

De Charitate, Dubia.

CAPVT XVI.

Circa Charitatis præceptum erga Deum.

DVBIVM I.

An sit speciale præceptum de aliquo acta interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet?



PECIALE præceptum de diligendo Deum latum esse, tenent cum D. Thoma omnes eius expofitores. Valent. *2. 2. d. 3. q. 19. punct. 1.* Lorca *sect. 3. d. 47.* Torres *d. 97.*

152
De scandalis infirmorum vitando.

dub. 1. Coninch *d. 24. dub. 2. num. 28.* Sanchez *l. 2. Decalog. 3. num. 1.* Bonac. *d. 3. qu. 4. punct. 1.*

Quia *Deut. 6.* dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. Et quia si de fide, & spe datur speciale præceptum (vt vidimus) quomodo negandum id esset Charitati, quæ nos Deo perfectius vnit. Verum hæc solummodo probare videntur dari præceptum de habenda Charitate, vt pote ad salutem omnino necessaria, at non probant dari speciale præceptum de aliquo actu amoris interno. Quæserim igitur, num sit speciale præceptum de aliquo actu interno Charitatis, quo Deum quis aliquando amet?

Non est præceptum speciale. Quia in Decalogo non continetur huiusmodi præceptum. Non ergo signum est præceptum charitatis non speciale esse aliquod speciale præceptum aliquo speciali tempore implendum, sed generale omnium præceptorum, sicuti præceptum de proximi dilectione, quod Christus Dominus dixit secundum præceptum esse, non est præceptum speciale, sed in Decalogi præceptis continetur. Porro in his duobus præceptis vniuersa lex pendet. Sic Valquez *tom. de panit. question. 90. articulo. 1. dub. 4. nu. 40.* Molin. *p. 9. 63. art. 2. & 3. d. vni. memb. 2.* Ianfen *concord. Euang. 2. 81. Maldonat,*

¹⁶³
*Eiusdem
sum miss.* Fateor, proximam rationem pro secunda sententia allatam conuincere, si sumatur instans rationis physicum: at si moraliter sumatur pro aliquibus horis, vel diebus, & si non ita conuincat, suo etiam modo efficaciam habet. Nam breui illo tempore vix possunt pueri perfecte instrui in iis, quae necessaria sunt ad huius praecepti executionem. Caterum raro vel nunquam instruuntur, quod est signum sufficiens non adesse pro illo tempore talem pueris obligationem. Admitto autem, posse aliquem cum originali peccato, & veniali tantum mori: alioque ad limbum puerorum descenditurum; illique aliqua temporaria poena confusionis orta ex dilpcentia sui ob illam maculam esse puniendum. Mecum Coninch. *disputatione 24. de Charitate dubio 8. numero 40. & 41.*

D V B I V M IV.

*An praeceptum dilectionis obliget pro fine
vitali solum?*

¹⁶⁴
*Obligat
pro solo vi-
tae fine.* Solum obligat praeceptum eliciendi Charitatis actum pro vitae fine. Quia dum viuimus, Deum, habituali dilectione prosequimur: actum autem amoris elicere oportet speciale dum morimur, & quo fortasse nostra aeterna felicitas pendet. Sic Vasquez *de poenit. quest. 86. art. 2. dub. 6. num. 11.* Et hoc speculatiue loquendo indicat esse verius Sancius *in select. d. 1. num. 11.*

¹⁶⁵
*Non obli-
gat pro solo
vitali fine.* Non obligat pro solo vitae fine hoc praeceptum, si pro aliquo tempore obligat. Quia hoc praeceptum imponitur ad rectam vitae institutionem, nostrasque actiones dirigendas in suum debitum finem, ad gratiam, & amicitiam cum Deo conseruandam: quae omnia potius in principio, quam in fine vitae locum habent. Ita Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 35. n. 8. Pal. tom. 1. tr. 6. d. 1. pun. 4. n. 4. Suar. de Char. d. 5. sect. 3. n. 1. Valentia 2. 2. d. 3. q. 19. pun. 1.*

¹⁶⁶
*Primam
sententiam
reiciit.* Ego quidem iudico, primae sententiae Auctores immerito in illud solum tempus hanc reiciere obligationem. Vnde si Charitatis praeceptum obligat, pro aliquo tempore actum dilectionis elicere, aptius esse initium, mediumve vitae, quam finem.

D V B I V M V.

*Qui semel in vita huic dilectionis praecepto
satisfecit: teneturne alium actum
elicere?*

¹⁶⁷
*No tenetur
plures actus
dilectionis
elicere.* Tempus huius obligationis est indeterminatum, & vnicum tantummodo. Vnde qui semel in vita huic praecepto satisfecit, non tenetur alium actum Charitatis huiusmodi elicere. Quia cum nullum tempus Deus assignet, quo diligere debeat, sed liberum homini relinquit, ut tempore à se electo obligationem exequatur; fit, mortis tempore obligatum esse si antea obligationem non impleuit; ultra illud

enim non restat aliud eligendum. Si vero iam vel semel in vita dilectionis actum gesserit, praecepto satisfecit, nec tenebitur alium actum elicere. Sic nonnulli, quos pressis nominibus memorat. Sotus *l. 1. de nat. & gra. c. 22. vers. Dicamus ergo.*

Tenetur plane elicere plures Charitatis actus, nec praecepto satisfecit vnicum in vita, vel morte eliciendo. Quia derogat admodum amicitiae diuinae, ut semel tantum in vita ad sui exercitium obliget. Nam si alia praecepta vnicuique actui contenta non sunt, sed plures exposcuntur: hoc praeceptum omnium dignissimum, vnicuique contentum erit dilectionis actus. Ita Valent. Sanchez. S. Coninch, & alii, quos refert, ac sequitur Cast. Pal. *tom. 1. tr. 6. d. 1. pun. 4. num. 5.*

Primam sententiam communiter ab Auctoribus reprobam omnino reicio. Quia non solum derogat amicitiae Dei, ut secundae sententiae Doctores asseruere: sed quia permittit, in finem vitae hanc reici obligationem: neque ardeat, ubi exercendam esse, si quis antea decursu temporis illi aliquando satisfecit.

D V B I V M VI.

*An obligetur quisque quolibet die festi-
uo dilectionis huius actum
elicere?*

¹⁷⁰
*Obligatur
quidem.* Quia Deus non tam honorandus est externo cultu, quam interno corpore, quam mente. Sed praecipuus cultus internus, qui Deo exhiberi potest, est dilectio super omnia: ergo haec est illo tempore praecepta. Sic Sotus *in 3. dist. 27. q. vnic. ad 3. Tabien. v. Charitas. q. 10. Angel. v. Ferie num. 41. Gabr. in 3. dist. 37. quest. vnic. art. 3. Almain. q. vnic.*

Minime obligatur. Quia non quolibet honoratio interna, quae diebus festis fieri potest, praecipitur: sed solum quae necessaria est, ut ab opere seruili abstinemus, & Missae intermissum sacrificio, solum namque haec praecepta sunt tam diuino praecepto sanctificandi festa, quam Ecclesiastico. At haec praestari possunt, ut de se constat sine dilectionis actu, & ab homine in lethali existente: ergo. Ita Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 35. num. 8. citans D. Thomam, Nauarrum, & alios. Suar. de Char. d. 5. sect. 3. nu. 1. Coninch. disputation. 24. dub. 3. num. 43. Bonacina disputation. 3. question. 4. de Charitate pun. 2. & secundo.*

Hanc obligationem dierum festorum communiter Doctores merito reiciunt. Nullus enim est, qui de hac omissione facta die festo se acuset. Ergo credibile non est, hanc inesse obligationem: alias Parochi tenerentur suos fideles de illa monere, & ad illius impletionem excitare, quod videmus à nullo fieri.

D V B I V M

DUBIUM VII.

An obliget Charitatis præceptum, actum dilectionis elicere, cum quis adultus Baptismum recipit?

173 Obligat plane. Quia suscipiens Baptismum, se servum Christi Domini profiteatur, in eiusque obsequium promittit toto vitæ tempore perseveraturum. Decet ergo ut hoc propositum diuinæ dilectionis actu obfirmet. Sic Sotus l. 1. de nat. & gra. cap. 22. casu 1. & libr. 2. de iustit. qu. 3. art. 10. Valentia 2.2. d. 3. quæst. 19. punct. 1.

174 Non obligat. Quia ad digne suscipiendum Baptismum, sufficit attritio concepta ex metu penæ, quæ amorem Dei super omnia non includit. Ita Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 35. nu. 9. Suar. d. 5. de Charit. sect. 3. n. 2. Coninch. d. 24. dub. 3. num. 44. Palao tom. 1. tractat. 6. d. 1. punct. 4. numer. 7.

175 Cum his opinor, sciens P. Valentiam instare, secundæ sententiæ fundamentum solum probari, amorem Dei super omnia non requiri tanquam dispositionem ad Sacramentum digne suscipiendum, bene tamen necessarium esse, ut quis rite, ac firmiter se Dei servum in Ecclesia Christi, cui se aggregat, profiteatur. Profecto neque ad hunc effectum iudicari, amorem Dei necessarium esse, etsi convenientissimum. Nam ipsius Baptismi susceptione cum attritione debita satis se servum Christi adultus ille profiteatur, & firmum animum gerit nunquam ab illius obsequio recedendi. Neque opus est militi Christiano, omnia in Deum expelle referre. Sufficit, si virtualiter referat per propositum, quod habet, eius voluntati perpetuo obsequaturum.

DUBIUM VIII.

Quoties Sacra Eucharistia sumenda est, teneturne quis implere præceptum?

176 Quoties quis ad Eucharistiam sumendam accedit præceptum Charitatis instat, ut actum dilectionis exerat. Quia sic cum Deo intimitur, & fructum Sacre Communionis uberius percipit. Sic Bannes 2.2. q. 44. art. 1. dub. 1. ad 3.

177 Non instat ad hoc Charitatis præceptum. Quia ex D. Paulo, iuncto Tridentino solum habetur, debere se hominem probare ad Eucharistiam percipiendam media confessione, si peccati lethalis conscientiam habeat. Ita Sanchez lib. 2. Decalog. d. 35. num. 8. Azor. tom. 1. l. 9. cap. 4. qu. 1.

178 Existimo obligationem huiusmodi sine fundamento, docti Bannes venia, esse appositam. Nulli enim affirmatum est, si scripturam, & Concilia evolvat per dilectionem actualem esse probandum peccato mortali carentem, ad

suscipiendam Eucharistiam. Unde hanc obligationem cum communi sententiam omnino reiicio.

DUBIUM IX.

An obliget Charitatis præceptum, cum quis aliquod egregium opus, difficile quidem, est aggressurus?

Obligat quidem, cum Martyrium fidelis est aggressurus, vel alium egregium opus difficile plane inire curat. Quia oportet tunc animum ad difficultates superandas Dei amore obfirmare. Sic Valentia 2.2. d. 3. q. 19. punct. 1. citans Sotum.

Minime tunc obligat Charitatis præceptum. Quia oratione, aliisque virtutis actibus potest sese fidelis communitare, nec necessarium est ad dilectionem Dei super omnia recurrere. Ita Suar. d. 5. de Char. sect. 3. n. 2. Castro Palao tom. 1. tract. 6. d. 1. punct. 4. num. 9. Coninch. d. 24. du. 3. num. 45.

Profecto eliciendi tunc dilectionis Dei actus convenientiam agnosco, obligationem autem improbo. Quia fundamento nititur, cum oratio fervens, ac Sacramentorum usus sit firmissimum cordis fidelis stabilimentum, ad difficultia quæque superanda.

DUBIUM X.

An debeas dilectionis Dei super omnia actum gerere, cum magnum à Deo accipis beneficium?

Debes profecto. Quia expedit redamare eum qui te magno beneficio donans te amare significat. Sic Sotus l. 2. de iust. q. 3. a. 10. Valentia 2.2. d. 5. q. 19. punct. 1. casu 4. Tolet. l. 4. sum. cap. 9. num. 10.

Non debes necessario. Quia ex beneficii receptione solum iure nature ad gratias exhibendas poteris obligari. Ita Sanchez l. 2. Decalog. d. 35. n. 9. Suar. de Char. d. 5. sect. 3. n. 2. Coninch. d. 24. dub. 3. n. 45. & alij.

Cum his opinor. Nam primam sententiam firmo fundamento carere iudico. Acceptio enim beneficii solum exigit (vix dixi) gratiarum actionem: & hanc non immediate post beneficium acceptum; potest namque gratiarum actio absque lethali aliquandiu differri.

DUBIUM XI.

An præceptum Charitatis obliget, quoties quis blasphemantes exaudit?

Obligat plane. Quia blasphemia Deo gravis inferitur iniuria, quæ quidem medio dile

SECT. II. De Charitate, Dubia. 143

quod Sacramentum teneris peccatum ab animo expellere, ut digne ministres verbi gratia, Baptismum, aut Pœnitentiam: quod nisi media attritione cum Sacramento Pœnitentiæ, vel contritione, quæ amorem Dei super omnia includit, fieri non potest. Si igitur tunc hæc media omittas assumere, & Sacramenta ministres non aduersus Charitatem, sed aduersus Religionem delinques; quia ex Religione obligatio dilectionis actum eliciendi, ortum habebat, casu quo Pœnitentiæ Sacramentum non recipiebas. Porro de hac obligatione non est sermo, sed de illa, quæ per se, & ex vi Charitatis oritur. Hæc ergo obligatione existimo, quælibet ad altum teneri non singulis annis, sed aliquoties in vita, ita ut non multo tempore hoc exercitium differatur. Signare autem tempus hoc fieri non potest, sed prudentis arbitrio est mensurandum. Reputarem vero trium annorum dilationem grauem esse. Nam qui tanto tempore diuinam bonitatem non reclamant, eam contemnere videtur, & in periculo eam offendendi, & humanis rebus postponendi constitui. Mecum Coninch. disp. 24. dubio 3. num. 53. Suarius de Charitate. d. 5. sect. 3. num. 4. Monerim tamen, raro quemlibet fidelem, nisi deprauatus sit moribus, huius peccati reum existere; quia sæpe conatur contritione, se ad absolutionem disponere, sæpeque beneficia diuina, & summam bonitatem confiderat quibus ad effectum debitum amicitiae excitatur.



CAPVT XV.

Circa præceptum Charitatis erga proximum.

DVBIVM XV.

Obligamur ne ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem?

197 **RESPONDO**, nos obligatos esse ex Charitate proximum sicut nos ipsos diligere. *Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Vbi particula sicut non qualitatē, sed similitudinem denotat, quod frequens est in Scriptura *Ioann. 13. & 15.* Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos. *D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. Athan. serm. 4. contra Arrian.* Quæsierim vero, num obligemur ad aliquem amorem internum erga proximum ex Charitate procedentem?

198 Obligamur quidem. Quia Dominus eodem modo de præcepto dilectionis proximi locutus est, ac de præcepto dilectionis Dei. *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Hoc est maximum, & primum mandatum.* Mox subiungit, *Secundum autem simile est huic, Diliges pro-*

ximum tuum sicut te ipsum. Sed præceptum dilectionis Dei obligat ad actum internum: ergo & præceptum dilectionis proximi ad actum internum obligabit. Sic nonnulli Euangelij Expositores.

Non obligamur. Quia ex Charitate solum tenemur diligere Deum, vel proximum, quatenus talis dilectio illorum cedit in bonum: at actus internus dilectionis in proximum in bonum proximi non cedit cum illi incognitus sit: cedit autem in honorem Dei, cui omnia patent: ergo respectu Dei tenemur amorem internum gerere, & respectu proximi solum quatenus est necessarius ad vitandum odium, vel ad opera misericordiae, & beneuolentiæ signa illi debita exhibenda. Ita Scot. in 3. dist. 30. q. 1. *Quantum ad hoc. D. Thom. 2. 2. quæst. 25. ar. 8. in corp. Lorca 2. 2. session. 3. disp. 58. numero 10. Suarius de Charitate, disp. 5. sect. 4. num. 4. Coninch. d. 24. dub. 4. concl. 1. & 2. numer. 66. & 67. & alij.*

Profecto primæ sententiæ ratio omnino conuincit, obligatos nos esse proximum amare, illiusque bonum expetere: sed huic obligationi crediderim fieri satis amore ipsius Dei, qui saltem virtualiter est amor proximi iuxta illud 1. *Ioann. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligunt Deum, diligant, & fratrem suum.* Nam qui Deo placere in omnibus intendit, eiusque exequi voluntatem, necessario salutem proximi velle debet, illamque procurare, prout nouerit Deo placere. Amare autem proximum amore interno distincto ab amore ipsius Dei, non obligamur, nisi forte fuerit aliquando necessarius ad aliqua debita opera exhibenda.

DVBIVM XVI.

Si proximus offensus ultra humilem veniam petitionem veniam iniuriæ tibi illata satisfactionem offerat sufficientem: vel iniuriæ talis sit conditionis, ut nequeat reparari, uti in nece filij, cui parentis contingit: poterisne actionem iniuriæ coram Iudice persequi?

199 **CERTUM** est ex fide te obligatum esse tam iure naturæ, quam diuino peccatores, & inimicos diligere. Quia sunt vere proximi ad Dei imaginem creati, & supernaturalium capaces honorum, ob quæ digni amore oblectantur. Ex hac obligatione inferitur, te non posse peccatori, aut inimico velle malum aliquod, quia malum illius est. Quia hoc intrinsece malum est, & nulla ratione valet honestari. Et obligatum esse iniurias remittere toto ex corde, etiam si offensus non petat, hoc est, obligari à volitione vindictæ abstinere, quia malum iniuriantis est: imo te ita cum inimico portare, ut neque ipsi, neque aliis præbeas suspicandi fundamentum, te adhuc fovere inimicitias: Quia ex obligatione Charitatis teneris nemini scandalum excitare. Vnde non licet inimicum, quia inimicus est ab oratione, auxilio, beneficio

199
Non obli-
gamur.

200
Auctoris
resolutio.

201
Nonnulla
suppono.